

Cum ego nuper Parisiis essem, ut qui ibi in Bibliotheca Publica as-  
servantur Donati in Terentium codices conferrem, non alienum videbatur  
eandem operam etiam Eugraphio tribuere, cuius Commentarium Donato  
comitem addere constitui. Usus sum autem Eugraphii codicibus duobus;  
nam qui praeterea in Catal. MSS. Tom. IV. p. 412. hoc nomine feruntur,  
num. 7917. et 7917. A. insigniti, Terentii fabulis subiectam exhibent enar-  
rationem nescio cuius insulsi et horriduli magistri, qui Eugraphii nomen  
ementitus videtur. In utroque codice ita incipit:

*Eugrafius super Therencium.*

*Andria: Eucus: Eantontimorumenos: Adelphe: Eschina: Phormio.*

*Legitur actor iste affricanus genere qui deuicta cartagine ab affricano  
scipione cum aliis captiuis romam ductus est. uerum ipsius immensa co-  
gnita discretione et sapientia pilleatus ductus est iuxta currum imperato-  
ris cum tum nobilium et sapientum esset gestare pilleos. Itaque diu rome  
exul in maxima habitus est reuerentia. et ad spectaculum teatri cum ce-  
teris nobilibus romanis uenire consuevit. uidit etiam scipiones ad maxi-  
mos honores sublimari. saepe etiam numero apud se excogitabat qua ra-  
cione romano populo placere posset. Ideoque animum suum ad hoc genus  
applicuit scribendi. ut scilicet quasdam fabulas de greco in latinum transf-  
ferret que comedie proprio nomine appellabantur etc. In principio Eun-  
uchi haec leguntur: Finito itaque cursu prime comedie terencius intelligens  
populum romanum placidum et benignum fuisse primamque comediam illis be-  
nigne placuisse ut adhuc magis populo romano placere posset securior secu-  
dam aggreditur comediam que nimirum eunuchus dicitur a quodam iuvene*

*cherea . s . qui etc. Phorm. V. 9. 51. his verbis terminatur: quid ais. quamvis chremes effret in timore tamen ex auaricia dolet de amissione pecunie. non quod pudere. te decet subaudi. oculi dolebunt. uidendo quod nolunt.*

*Explicit expositio textualis super Therencium.*

Ex hoc specimine satis, opinor, apparet, Frid. Lindenbrogium non imprudenter fecisse, quod istud commentum (nam aliud in Praefat. eius ad Terentium significari non crediderim) in lucem proferre noluit. Vid. Suringar. Hist. Crit. Schol. Lat. I. p. 90. Haud dissimili argumento videtur Anonymi *Glossa super Terentium* esse, quae in Bibl. Guelph. codice membr. saec. XIII. inest; certe Eberto teste in Catal. nr. 862. p. 162. ab iisdem fere verbis incipit: *Legitur actor ille Africanus fuisse.* E codicibus igitur Parisinis, verum qui Eugraphium continent, alter Regius est nr. 7520., olim Colbertinus, membranaceus saec. X., binis columnis scriptus. Post opuscula varia, maximam partem grammatica, Eugraphius occupat folia 17. extrema. Nec tamen Commentarius eius, ut est in Catal. MSS. Bibl. Reg. Tom. IV. p. 369., in omnes ac singulas Terentii comoedias, sed tantum in Hecyram extat integer. In Adelphis initium deest, in Heautontimorumenio finis. Ad Enochum extrema supersunt. In Andria et Phormione nihil non desideratur. Alterum quod usurpavi Eugraphii exemplum praebet Terentii codex, Sorbonicae quondam Bibliothecae nr. 507., membranaceus, saec. X. exeunte vel XI. scriptus. In hoc libro complectitur Commentarius, singulis fabularum scenis interiectus, Andriam, Eunuchum, Heautont. et Adelphos usque ad verba (III. 5. 4.) *officium suum est facturum . officium.* Iam vero uterque codex, maxime autem Regius, utpote correctoris manum altero minus expertus, ad emendandum Eugraphium, quem mira librariorum vel levitas vel inscitia ex Grammatico non ita cordato plane recordem subinde reddidit, egregium adminiculum censendum est. Vix enim quisquam crediderit, quam multa in illo mutila, quam multa depravata et sensu omni destituta vulgo legantur, quae horum librorum ope explere et integritati suae restituere liceat. Quod quo certius cognoscant, quorum id interfore videatur, age,

sumamus, in qua remaculanda nunc ipsum versamur, extremam Commentarii partem, et siquando in locis corruptis codices nostri aliquid sani habent aut certe inveniendi modum ostendunt, paucis id indicemus.

---

ADELPH. Prol. 9. *Dixi in aliis Comoediis et magis in Andria, hanc fuisse consuetudinem poetis Latinis, ut crimen non esset aliquid de Graeco transferre in Latinum, verum illud esse criminis, simulata contingere, vel si id diceret, quod iam a Latino fuisset expressum.* Cod. Sorb. recte si id diceretur. Praeterea vide, an legendum sit *verum illud esse criminis, simul alia contingere.*

Act. I. Sc. II. 18. *Defensionem parans, ab ea incoepit parte, quae obiurgationem tenet, quia imperitus semper satis iniustus est. Parat autem defensionem adolescentiae, sciens meretricem raptam.* Cod. Reg. coepit et *satis semper.* Idem cum Cod. Sorb. post *iniustus est* addit: *Nihil. n. c. r. n. q. i. f.* quae ita ex Terentio legenda sunt: *Nihil enim censet rectum nisi quod ipse fecit.*

Ibid. 46. *Postremo concludit, quod iam repetat filium, quem dedisset. Hac re territus senex, cum iracundia tamen conqueritur, quod alienus non sit filio ac propterea cogatur de eo cogitare.* Uterque Cod. *Hac re territus discedit senex.*

Act. II. Sc. I. 9. *Huius non faciam] Hoc est, ne huius parvuli te faciam ac propterea contemnam ac despiciam.* Cod. Reg. post *non faciam* plenius: *intelligendum quã quasi de ueste floccũ carpsit. et sic intendens dixerit. hui' ñ faciã.*

Ibid. Sc. II. 9. *De tuo iure] Hoc est, ne plurimum leno esses, ut intelligamus avaritiam te impares.* Ita Westerhovius. Lege ex utroque Cod.

*Si nunc de tuo iure] Hoc est, non plurimum leno esses, ut intelligamus, avaritia temperares.*

Ibid. 21. *In ipso articulo] Articuli sunt in digitis, quorum nodo atque flexu ad actus facilis explicatio est. Ac si in ipso articulo quis aliquem teneat rigore confecto, confixura nulla fiet, nihil agi exinde potest. Ita hic temporis articulum collocavit, quoniam oppressus actus suos ducit implicatos. Cod. uterque at si in ipso articulo. Deinde pro confixura cod. Reg. cum flexura. Idem post implicatos addit: Nisi eo ad mercatum, hic eo n̄ uerbū est sed eo aduerbiū hoc est illuc.*

Ibid. Sc. III. 3. *Quod vero ait Nemini homini πλεονασμὸς est; significat enim nemo homo. Cod. Reg. nemo n̄ homo. Uterque cod. pleonasmus.*

Ibid. Sc. IV. 1. *Rediens domum Aeschinus simulato furore procedit, ut illo metu libenter accipiat, quidquid affertur. Cod. Reg. domo. Pro corrupto illo scribendum leno.*

Act. III. Sc. II. 1. *Et post efficitur deliberatio, an perferendum sit, quod vitiatu puella esset: ut coactus legibus adolescens eam ducat uxorem. Et si hic partes ambae indicandae sunt, ut suis locis tractabimus, nunc de quaestione dicemus, exordium. Codd. Reg. et Sorb. recte an proferendum sit. In sequentibus iidem indicandae essent, cod. autem Reg. nunc de quaestione ducebimus, ut scribendum sit: etsi hic partes ambae indicandae essent, ut suis locis tractabimus; nunc de quaestione ducebimus exordium.*

Ibid. 37. *Sed si negabit Aeschinus vitiatam, facile dinoscetur. Testis enim, inquit, mecum est annulus, quem amiserat. Cod. Sorb. dinoscitur, Reg. reumtitur. Scribe revincitur.*

Ibid. Sc. III. 21. *Ut senem Demea posset incitare iracundia, fingit imperare se servo, ut pisces ceteri purgentur. Cod. Sorb. possit incitare; Reg. possit in iracundiam suscitare, quod verum. In antecedentibus corrige Demeam.*

Ibid. Sc. IV. 21. *Dicit hoc, quod virgo vitiatu est, grave non esse,*

propterea quod veniens adolescens mereri poterat ex amore. Lege veniam, ut est in cod. Reg.

Ibid. Cumulus enim hactenus ad accusationem, si eo tempore deserit adolescens puellam, quo iam pater esse potest, cum vicinus est partus, ac deserendi non \* olim in adolescentia arguit, sed ipsum tamen factum proponit, quod psaltriam rapuerit. Cod. Sorb. pro hactenus habet actenus; Reg. optime accedit. Mox idem non solum in adolescente arguit. Lege, ut sensus constet: ac deserendi non solum voluntatem in adolescente arguit, sed ipsum iam factum etc.

Ibid. Est enim breve tempus id \* amores esse cum meretrici. Fit cumulus, quod ad id comparavit sibi psaltriam, quicum vivat. Ut hoc perpetuum sit, adiunxit, quod intendebat: Pro certone tu istaec dicis. Nihil est, quo enim referas. Deinde pro quod ad id comparavit cod. Reg. habet quod adic̄ comparavit. Repone: Est autem breve tempus, in amore esse cum meretrice; fit cumulus, quod adiicit: Comparavit sibi psaltriam, quicum vivat; ut hoc perpetuum sit. Adiunxit etc.

Ibid. Sc. IV. 32. Mater virginis in medio] Ad rem confirmandam testem adhibet accusator, ipsam virginis matrem, et rem ipsam dixit ut eorum mulieres. Ad postremum adiunxit et servum Getam, de quo facile possit inquiri, ut a testibus res probetur. Ita cum Westerhovia Klotzium. Scribendum est: testem adhibet accusator ipsam virginis matrem, et rem ipsam dixit uterum mulieris. Mox e cod. Reg. post facile adde veritas.

Ibid. Sc. V. 1. Bono animo fac sis] Senex ingressus domum, vidit parturientem puellam, eius matrem consolatur, promittens se conventurum Micionem, Aeschini patrem, et coacturum, ut vitiatam ducat uxorem ille, qui vitiauit. Cod. Sorb. Bono animo fac sis sostrata haec. Senex etc., Reg. Sostrata hepo. Senex. Lege: fac sis Sostrata. Hegio senex etc.

Act. IV. Sc. II. 1. Interea dum conquirat fratrem Demea, cognovit a

*mercenario, in villa non esse filium. Cod. Reg. In itinere cum quaerit fratrem Demea.*

Ibid. 15. *Hoc consilium sumpsit Syrus ad purgandum, quod in villa non erat filius, quod reversus sit idem adolescens, et verberaverit se propterea quod ipse auctor fuerit Aeschino ad rapiendam meretricem. Cod. Reg. post adolescens addit inutus. Repone: quod reversus sit inde adolescens iratus.*

Ibid. Sc. III. 10. *Si ita aequum censes] Aut si ita omnium facta expetiverunt, uti ad mulieres Micio pergeret, haec eadem illis praesentibus polliceretur. Verum etiam dubitatione utens Micio, hoc ut plenius fieri posset, persuadet Hegio, quod illae miserae alterum solatium calamitatis habere possent, nisi hic polliceatur. Cod. Reg. post expetiverunt habet hegio, dein et ante haec. In sequentibus idem Verum dubitatione utens posllucetur micio hocn plenius fieri possit — calamitatis habere n̄ possit nisi hic pollicetur. Hinc ita corrigo: Si ita aequum censes aut si ita opus est facto] Expetiverat Hegio, uti ad mulieres Micio pergeret et haec eadem illis praesentibus polliceretur. Verum etiam dubitatione utens pollicetur Micio. hoc ut plenius fieri possit, persuadet Hegio, quod illae miserae aliter solatium calamitatis habere non possint, nisi hic polliceatur.*

Ibid. Sc. IV. 14. *Ne quid de fratre garrulae illi dicerem] Convenit enim, ne aliquid dicerem de fratre illi mulieri garrulae, hoc est, verbosae et loquaci. Cod. Reg. pro convenit enim habet connui me, quod m. 2. in conuenit mutavit perperam. Eugraphius scripsit: continui me, Terentianum reprehendi me recte interpretans.*

Ibid. 15. *Repetit consilium, ut ad illas pergeret et se purgaret. Cod. Reg. Reperit — pergat et se purget.*

Ibid. Sc. V. 13. *Deinde adolescens omnia defendit, quo conviciator sit, quod hic eam potius debeat ducere uxorem. Cod. Reg. qđ cūvitiator sit quod h̄s. Repone: quod cum vitiator sit puellae, is eam etc.*

Ibid. 58. *Quod quidem in te fuit] Quantum in te fuit, perdidisti et illam et gnatum, quod tacuisti: quod tu prospexisti. Factum enim est vel fortuna vel eventu meo, quod rem curavi, et intercederem, te eam uxorem ducturum. At ille parum credens fidem poscit. Cod. Reg. quo ego rem curavi ut promitterem te eam. Legendum: quod tacuisti, quod non prospexisti. Factum enim est vel fortuna vel eventu, quo Hegio rem curavit, ut promitterem, te eam etc. Deinde Cod. Reg. post ducturum addit haec: Nolim harū rerū te focordē. Noli in ceteris rebus te neglegentē. deinde promittit qđ sit ducturus uxorem; ut recte iam sequatur: At ille parum credens fidem poscit.*

Ibid. 77. *Dabo operam, ne quod nolit pater faciam insciens, inspiciam et providebo. Cod. Reg. uero addit post insciens. Lege: faciam insciens; sciens vero, inspiciam etc.*

Ibid. Sc. VII. 3. *Capitalia crimina sunt, quae expresse poenam merentur. Cod. Reg. quae capitis poenam merentur.*

Ibid. 7. *Exinde leve docetur esse, quod ille computat crimen. Cod. Reg. leve docetur esse. Scripsit: leve docet peccatum esse.*

Act. V. Sc. III. 35. *Quod facile adolescentes corrigi possunt, dixit inesse in eorum moribus indicia melioris disciplinae, et probat ex consuetudine, quod sic exercet correctionem. Lege e cod. Reg. dicit et probat hoc. Idem pro inepto sic exercet habet fit ex etate. Repone: quod fit ex aetate correctio.*

---

HECYR. Prol. I. *Graecum nomen Hecyra latine socrus dicitur. Apposuit igitur ad faciendos dociles auditores primum nomen, deinde proponit quaestionem, cum dicit: Haec cum data est nova, novum intervenit vitium et calamitas, ut neque spectari neque cognosci potuerit. In quo defensio est magna, cum nunc dicit spectatam et cognitam repudiare. Cod. Reg. post*

quaestionem addit simul cū questione. Lege: proponit quaestionem simul cum conquestione. In sequentibus idem Reg. plenius: *In quo defensio est magna cum non dixit spectatam et cognitam et sic repudiatam sed cum data est unde conquestio quod quaedam calamitas sit non cognitam repudiare. Ad sensum requiro cum data est nova, et mox non cognitam repudiari.*

Ibid. *Ergo si antea nullum initium huius agenda fuit, tanquam redit. Cod. Reg. tanquam noua redit. Addo, pro initium scribendum videri otium.*

Ibid. 8. *Alias cognostis eius, quaeso hanc cognoscite] Optime admonuit, ut de praeteritis poetam datum doceret, quo facilius posset scire populus, et hanc eius comoediam posse similiter comparari. Cod. Reg. admonuit et poetam χdatum doceret. Lege: Optime admonuit, ut de praeteritis poetam probatum doceret et posse similiter comprobari.*

Prol. II. 6. *Quas primum Caecili didici novas] Comoediarum scriptor Caecilius fuit. Ergo ad hunc laborem suum profert exemplum de altero auctore, qui populo placuerit. Cod. Reg. ergo ābiutus laboris sui exēplū χfeit. Lege: Ergo Ambivius laboris sui exemplum profert de altero auctore.*

Ibid. 39. *Facite ut vestra auctoritas meae auctoritati adiutrix fau- trixque sit] Vos comoedias cum libenter audire coeperitis, erit studium scriptoribus maximum. Unde mea ad placendum crescet auctoritas, si quidem multi per me placebunt. Pro placendum, quod Klotzii est, vulgo clangendum legitur. Lege agendum, ut habet Cod. Reg.*

Ibid. 44. *Qui in tutelam meam studium suum et se in vestram com- misit fidem] Poeta enim quodammodo auctore commendatus est. Cod. Reg. Existimūcio et enī poeta quodammodo auctori commendata est. Lege: Existimatio etenim poetae quodammodo actori commendata est.*

Act. I. Sc. I. 1. *In prima parte continet tractatum, an iuste meretrix faciat, cum aliquem diligit, in postrema narrationem, sicut in omnibus*



*habet, quod argumentum in prologis Terentius nullum tenet. Omnes igitur eius comoediae in primis scenis argumenti plurimam exprimunt partem. Ea igitur meretricis, quae hic est, longe a fabula est constituta. Nam aliam meretricem amat Pamphilus. Nunc ista interponitur, ut ei peregre adveniendi atque miranti, quod meretricem duceret, narretur quid causae fuerit. Quae res dum exponitur, argumentum pars aliqua declarat. Ita Klotzius scribendum putavit, cum apud Westerhovium legeretur: narratione sicut in om habet. Qm argumentum etc. Codex Reg. nisi quod narratione, ceteroquin recte: sicut in omni comoedia habet, quoniam argumentum etc. Idem liber mox, omisso igitur post Omnes, sic: plurimio explicant partem. Unde scribendum: Omnes eius comoediae i. p. s. a. plurimam ideo explicant partem. In sequentibus cod. idem: Verum ista nunc. Denique non dubito, quin Eugraphius nec meretricem duceret scripserit, nec argumentum pars aliqua declarat. Scribe: meretricem deseruerit et argumenti pars aliqua declaratur.*

Ibid. 8. *Mutiles] Hoc est, debiles reddas. Unde aiunt, quod claudus sit Vulcanus, inde dictum esse res virilis posuit mulier. Quamquam illic intelligi potest, quod omnia mulceat et mollia igne faciat. Westerhovius e Donato] legendum ait: Vulcanus dictus Poetis Mulciber. Cod. Reg. inde dictum esse uti utri posuit mulciber. Lege: inde dictum esse, uti Virgilius posuit, Mulciber. Posuit Virgilius Aen. VIII, 724, ubi vid. Servius.*

Ibid. Sc. II. 39. *Hoc enim dixit: Fecit animi ut incertus foret, piae doctrinae, anne amori obsequeretur magis. Cod. Reg. incertus foret, pudorine anne amori etc.*

Ibid. 61. *Quam rem exsequitur meretricis in argumentis, quod ait: Cum virgine una adolescens cubuerit plus potus illa se abstinere ut potuerit? Non veri simile dicis, nec verum arbitror. Hoc solvitur illo argumento, quod meretricis amatores omnes habet, cum quibus ei duco.*

*Credit adolescentes universos se femineo sexu abstinere non posse. Non intelligo causas amoris esse alias odii, ideo adiecit etc. E Cod. Reg. emendandum: exequitur meretrix his argumentis: Quid ais? cum virgine etc. Idem mox: amatores omnes habet cum quibus ē idcirco credit adolescentes et nū intelligē causas alias amoris etc. Lege: omnes habet, cum quibus est. Idcirco credit adolescentes et Non intellegit, causas alias amoris esse, alias odii. Ideo adiecit etc.*

Ibid. 106. *Eadem discedit ad matrem, ad rem divinam, hoc est, propter sacrificium evocata. Saepius redit et aegra simulata est et socrus cum ad visitandum veniret, admissa non est. Cod. Reg. sacrificium et evocata saepius n̄ redit et aegra simulata et socrus. Hinc scribendum: propter sacrificium, et evocata saepius, non redit et aegra simulatur etc.*

Act. II. Sc. I. 6. *Laches credit nurum, hoc est uxorem Pamphili propterea domo discessisse, quod socrus mores non potest sustinere. Cum supra diximus, sicuti partus celandi causa domo illa discesserit. Pro quod Cod. Reg. ut Leidensis liber habet qm̄ i. e. quoniam. In sequentibus emendo: sustinere, cum, sicuti supra diximus, partus celandi etc.*

Ibid. 8. *Quod praesenti tempore nullam ad coenam de se habitae potest esse purgatio, defensionem de futuris temporibus pollicetur, his scilicet, quibus rediturus est Pamphilus. Eius enim adventu res absolvi potest et discessionis causa agnosci. Cod. Reg. Quoniam praesenti tempore nulla ad senem suspensionis de se habitae potest esse purgatio. Idem pro agnosci rectius cognosci.*

Ibid. 23. *Adeo tui mores noti omnibus, uti quod puella iurgio discessit, mirum sit, mirum magis est, et si inter vos amicitia perseveraret. Cod. Reg. mirum magis esset si etc. Praeterea ante mirum sit, addendum est minime, quam vocem similitudo sequentis extrivit.*

Ibid. 31. *Non mea opera neque pol culpa evenit] Quantum potest,*

*mulier defendit, se solam esse honestam quod non iurgii vel discessionis ipsa causa sit. Cod. Reg.: mulier defendit se solū hoc testans, quod etc.*

Ibid. 36. *Nam de te quidem satis scio peccando detrimenti nihil fieri potest] Hoc per ironiam pronuntiandum. Nam certus sum, quod temperata nulla damna sentimus neque res nostra familiaris ullum patitur detrimentum. Cod. Reg.: quod tepectāte nulla dāma. Hinc emendo: nam certus sum, quod, te peccante, nulla damna sentimus.*

Ibid. 41. *Contra senex rursus invenit, quod ipsa potius puellae morbus sit, ut eius mores aegritudinem afferant, non quod illa morbo corporis aliquo laboraret. Cod. Reg.: ruffus inuenitur — morbus fit et eius — non quo illa in quo modo corporis aliquo labore. Corrige: rursus invehitur — morbus sit et eius — non quo illa aliquo morbo corporis laboret.*

Ibid. Sc. II. 1. *reus fit iniuriarum senex, quod filiam abduxerit suam marito absente et apud aegram esse patiat, tamquam curam atque diligentiam inde coniugis habere non possit. Cod. Reg.: diligentiam in domo coniugis. Praeterea sensus poscit, ut scribatur: et apud se aegram esse patiat.*

Ibid. 10. *Si metuis satis ut meae domi curetur diligenter] Hoc ut diligenter confirmare possit, et iureiurando in se positum monstrat affectum etc. Cod. Reg., altero diligenter, quod ex prava repetitione ortum est, omisso, sic habet: iureiurando in se positum. Lege: iureiurando interposito.*

Act. III. Sc. I. 1. *Est enim maxima cura, quia suspicio est, puellam propter mores discessisse. Habet et incertum, quid faciat. Amat uxorem, sed obtemperat matri. Ita habet conquestionem calamitatum suarum ex praeterito amore similiter multa sit passus. Cod. Reg.: propter matris mores — Habet incertum — calamitatum suarum quia ex praeterito.*

Ibid. 8. *Dicit magis prodesse servus, quod Pamphilus sit. Ex hoc enim fieri potuit, ut dominum seditione domestica possit absolvere. Cod. Reg.: quod reuersus Pamphilus fit, et ut domum seditione etc.*

Ibid. 13. *Quid consolare me] Ille ipso medendi genere suscitatur vulnera et vehementer omnia, quae sibi ex amore contigerint, enarrat et suas innumeras miseras per partes enumerat. Cod. Reg.: suscitatur ad vulnera et uehementer conqueritur et omnia — enarrat et suas plurimas miseras etc.*

Ibid. Sc. II. 14. *Narrabit cuncta, quae vis iracundiae fuerit inter eas, unde exordium lites inceperint. Cod. Reg.: cuncta narrabit quae uasaliter uos iracundiae fuerit — lites inceperint. Lege: quae causa inter uos iracundiae fuerit, unde exordium lites incoeperit.*

Ibid. Sc. III. 1. *Conquestio est, quod de amore multa sit passus, quod multa uiderit, multa audierit. Cum dixit: partim quae perspexi his oculis, partim quae accepi auribus. Cod. Reg.: multa audierit simul cum partitione cum dixit.*

Act. IV. Sc. I. 21. *Suspicitur autem, quod aegre mater puellae ferat Pamphilum ob hanc meretricem et hac causa partum celare uoluerit. Cod. Reg.: Pamphilum ha meretricem ex hac causa. Lege: Pamphilum amare meretricem et ex hac causa.*

Ibid. 32. *Immo magis displiceret, si se ab amica separet cito, neque idoneus gener et apud quem uilis fuerat consuetudo. Memor mulier precum suarum merito mandat, ut ad Pamphilum pergat. Cod. Reg. genere et. Unde repono: neque idoneus gener esset, apud quem etc. Vitium ex compendio eet male intellecto fluxit. Mox idem liber marito mandat.*

Act. V. Sc. I. 12. *Iniustum valde, non merenti tibi inferre iniuriam. Accusatio sic ponitur: Meum receptas filium. Et cum illa continuo negare*

*vellet, hic quasi non accusantis quasi tantum personam tenet, sed persuadere cupientis illud, quod diu promissum sit Pamphilo, ut ad meretricem pergeret. Cod. Reg.: Iniustum valde est — accusatio ipsa sic proponitur. Mox idem egregie: hic quia non accusantis tantum personam tenet sed persuadere cupientis adiecit illud. Denique non dubium est, quin Eugraphius scripserit: quod diu permiffum sit.*

I. Lehrverfassung

---

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*